

non risisse sed rugisse: Omnibus autem volentibus cognoscere cur risisset, unus illorum accedens *Æsopo*, inquit, *Cujus rei gratià risisti?* Et is, *Abscede marina Ovis*: Illo verò, eo sermone funditus confuso, repenteque fecedente, *Xanthus* inquit Mercatori; *Quanti pretii est Cantor?* Illo autem, *mille obolorum*, respondente, ad alterum ivit, insolito vexatus pretio; Atque & hunc rogitante Philosopho, *cujusnam foret*, & audito *Lydum* esse, rursusque rogante, *Quid ergo scis facere?* Et illo respondente, *Omnia*; iterum risit *Æsopus*: Ex Scholasticis autem quodam sciscitante *Quidnam hic ad omnes ridet?* alius ei dixit, *Si & vis tu marinus vocari Hircus, roga, quaeso*. Interea *Xanthus* rursus rogavit Mercatorem, *Quanti pretii Grammaticus?* & illo *tribus millibus obolorum* respondente, Philosophus ægrè tulit tam immodicum pretium, & domi se terebat. Discipulis autem petentibus, *An non placerint ei servuli?* *Placent*, respondebat, *sed non in animo est emere Mancipium pretiosum*. Uno autem dicente, *Sed quid impedit, ne turpis hic ematur?* qui idem obsequium, idem ministerium afferet, quod & alii; nos ergo pretium illius exponemus. *Xanthus* respondet, *Absurdum & ridiculum prorsus erit vos solvisse pretium pro servulis, & me emisse*: Præterea & uxor mea, munditiæ studiosissima, nunquam feret à tam deo mi serviri mancipio. Scholasticis rursus dicentibus, *sed nobilis est Sententia quæ docet, quod, Fæmine non sunt parendæ*; *Xanthus* dixit, *Faciamus prius periculum, An sciat aliquid? ne pretium incassum pereat*. Accedens igitur ad *Æsopum*, *Gaude*, inquit; *Cui statim Æsopus*. *Numquam, tristabar?* *Xanthus* procedit *Saluto te*: Et *Æsopus*, *Et ego te*. *Xanthus* unicum cum aliis stupefactus inexpectato responso, rogavit, *Cujas es?* Ille respondet, *Niger*. *Xanthus* iterum, *Non hoc peto, sed unde natus es?* Et is, *Ex ventre Matris meæ*. Et *Xanthus* rursus, *Non hoc dico, sed in quo loco natus es?* Et ille, *Non renunciavit mihi mater mea, utrum in loco sublimi, an in humili*. Et *Philosophus*, *Quid autem facere nosti?* Et ille, *Nihil*. Et *Xanthus*, *Quomodo?* *Æsopus* respondet, *Quoniam hi duo se omnia novisse professi sunt, & mihi nihil reliquerunt*. Ad quæ Scholastici vehementer admirantes, *Per Deos dixerunt optime respondet: Nullus enim Homo est qui omnia novit, & ob hanc causam etiam & ridebat*. Rursus *Xanthus* inquit, *Vis ut te emam?* *Cui Æsopus*, *Non hac in re me consultore eges: Utrum tibi melius esse videbitur, aut emere, aut non emere, facias; nemo enim quicquam vi facit; Hoc in tuâ positum est Voluntate: Et si volueris, crumena Januam aperi, & argentum numera; sin verò nomine, neè mihi vitio vertas*. Rursus igitur Discipuli inter se dixerunt, *Per Deos nostrum Præceptorum antecellit*. *Xanthus* verò quum dixisset, *si te emero, an non à me aufugies?* *Æsopus* rideas respondebat, *Hoc si velle facere nullo modo utar tuo consilio, ut tu, paulò ante, meo*. Et *Xanthus*, *Bene dicis, sed deformis es*. *Cui Æsopus*, *Mentem inspicere oportet, O Philosophie, & non gibbosum, non deforme Corpus*. Ad Mercatorem igitur accedens, *Xanthus* dixit ei, *Quanti hunc vendis?* *Cui Mercator*, *Cur tali modo vituperas meas merces? formosis etenim pueris omisissis, deformem hunc elegisti: Alterum horum eme, & in illorum Gratiam, Hunc autem Auctarium accipe*. Non certè, respondit *Xanthus*, *Deformem hunc solummodo emam, Præterea neminem*. *Habeas igitur*, dixit *Mercator*, *sexaginta obolis*: Et Discipuli, qui ad *Xanthum* pertinebant, obolos confestim collatos liberaliter exposuerunt.

*Æsopo*, in *Xanthi* ministerium tralato, Publicani ingruentes aderant, & venditione cognitâ, sciscitantur, *Quis vendiderit, & quis emerit?* At quum utrumque paderet notos esse propter vilitatem pretii, *Æsopus* in medio stans (sicut amictum exposuimus) exclamavit, *Qui venditus est, Ego sum; Qui me emit, hic est; Qui me vendidit, Ille est*: Si vero ipsi prorsus tacuissent, quid obstat, quo minus ipse liber sim? Publicani, diffusi rifu, abierunt, donato *Xantho* Vectigali. *Æsopus* igitur sequebatur *Xanthum* domi proficiscentem: quum autem meridianus Sol æstiuabat, *Xanthus* inter ambulandum pallium attolens mingebat; quod *Æsopus* observans, veitibus illius prensis, retrò ad seipsum Philosophum traxit, & inquit: *Quam celerrime ut me vendas velim, aliter Proculdubio aufugiam*. *Cui Xanthus*, *Quam ob rem?*